



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Currus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

rem vocabant. Quod si quis à majore honore decidisset, rursus ad alterius petitionem accedere con-  
fuerat. Pauloq; infra: Marius cum ad Herennium responderet, hujusmodi fellam ἀγυλοπύδα me-  
morat, quæ cujusmodi esset, in numismatis intueri licet: duæ enim hujusmodi causæ habentur super  
tribunali, in M. Platorii Æd. Cur. nmo, ut omnino inde qua fieri specie solerent sella illæ conspicui  
sit. Magna autem ambitio Romanis fuit eburneis hujusmodi sellis ad clarissimos quosque Reges,  
quorum amicitiam sibi conciliaissent, dono missitandis. Inter ampla quippe dona, quæ Masinise  
Numidarum Regi missa sunt, sella etiam Curulis fuit. Ad Syphacem quoque cum donis aliis sella  
missa, cum is se Carthaginensibus inimicum, Romanis amicum per legatos professus esset. Et Ptole-  
mæo Egypti Regi, cum legati ad commemorandam renovandamq; amicitiam missi sunt, tulere do-  
no, togam, & tunicam purpuream, cum sella eburnea. Et Consules, cum Magistratum inibant in sella  
eburnea federe solebant. Unde apud Ovid. in Fastis:

*Et nova conspicuum pondere sentit ebur.*

Sed hæc missa faciamus, quæ omnium sunt historiis pervulgata: currumque protinus à sella ipsi  
infiliamus.

DE CURRU. CAP. XIV.

Proximus ad sedem accedit currus, multis & ipse hieroglyphicis insignis, quæ commemorare in-  
signiti propemodum operis labor esset: ledenim ea tantum recensebimus, quæ vel in numis, vel  
auctorum de vetustate libris comperiuntur, & si qua facient ad pietatem, nequaquam dissimula-  
bimus.

TRIUMPHUS. CAP. XV.

Sane constat, apud Romanos & gentes alias currum Triumphum significatum habuisse, cujusmodi  
victoriarum monumenta passim in numis, in aris, in arcibus conspiciuntur. Iis autem qui trium-  
phassent, statuae in curribus ponebantur, quæ ob id triumphales appellatae sunt. Earum vero statua-  
rum ornamenta erant, quæ Livius enumerat, Corona aurea, sella Curulis eburnea, eburneus Scipio,  
rota picta, & palmata tunica. Sellam autem Curulem ea de causa dictam volunt, quod curru honoris  
gratia soliti erant in Curiam vehi Senatotes, qui Curulem magistratum, hoc est, majorem honorem  
cessissent, in quo curru sella effert, supra quam considerent.

AMPLIATOR IMPERII. CAP. XVI.

Triumphalis autem effigies Romæ iis omnibus decreta est, qui fines Imperii ampliasent. Au-  
gustus vero memoriæ Ducum, qui populum Romani Imperium ex minimo maximum reddi-  
dissent, proximum à Diis immortalibus honorem præstitit: itaq; & opera cujusq; manentibus titu-  
lis restituit, & statuas omnium Triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, professus ed-  
dicto, commentum id se, ut illorum veluti exemplar, & ipse dum viveret, & insequentium atatum  
Principes exigerent à civibus.

MARITIMA VICTORIA. CAP. XVII.

In numo M. AGRIPPÆ COS. III. ab altera facie Neptunus est Equos agens flagello sublato, ipse  
currui cymbæ speciem præ se ferenti insistens. Cymba inter utrumque Equum sita. In puppi ejus  
navigii avis est alis surrectis quæ Aquilæ speciem refert. Literæ, HIC OMNIPOTENS ÆCORIS. Unde  
apud Horatium illud: *Suspendisse potenti vestimenta maris Deo*, ubi animadvertendum est C, literam  
apud nos ordine tertiam pro Q, positam more majorum, qui Q, literam olim excludere, ut Vellius  
Longus attestatur, neq; Nigidio Figulo in commentariis suis unquam posita est, teste Victorino. No-  
mi vero hujus species nimirum victoriam ab Agrippa contra Sex. Pompejum partam ostendit, quam  
Maro etiam celebravit in Scuto:

*En. lib. 8.*

*Parte alia ventis & Diis Agrippa secundis  
Arduus agmen agens, cum belli insigne superbum  
Tempora navali fulgent rostrata corona.*

*Ibid. lib. 9.*

Sunt etiam numi alii in victoria hujus memoriam cusi, in quibus trirèmes tridentalibus rostris  
præditæ conspiciuntur, ut tandem aliquando Virgilianum illud incolumitati suæ restitaturus,  
*Rostrata*